

residere credebant: « Existimabant Deum esse cor-
« poreum; unde credebant in uno loco corporeo
« tantum determinate adorari oportere; » ideoque
« ab hoc errore illam liberare volens, paulo post
« dixit: *Spiritus est Deus*. Præterea errabant cre-
« dendo Deum alibi creaturis parem esse vel simi-
« lem, quem proinde simul cum idolis suis adora-
« bant: « Ideo nesciebant eum, qui non attingebat
« ad veram cognitionem ejus. »

2. — S. Bernardinus, *Serm. xxxi*, in sensu morali dicit: « Per hoc mystice innuitur, quod anima
« carnalis per Samaritanam designata adorat quod
« nescit; quia summam felicitatem in rebus cadu-
« cis et transitoriis querit et colit. »

3. — Deplorandam profecto erat ingens illa
« Gentilium cæcitas et ignorantia, qui lapides, mar-
« mura, metalla, ligna adorabant, de quibus, *Psal.*
« *cxiii, 4*, scribitur: *Simulacra gentium argentum et*
« *aurum, opera manuum hominum; os habent et non*
« *loquuntur, oculos habent et non videbunt, aures*
« *habent et non audiunt.*

Nos adoramus quod scimus.

4. — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, Deum,
« quem verè cognoscimus: *Notus enim in Judea*
« *Deus*; cæteris enim nationibus ad diversos erro-
« res ruentibus, remansit in populo Israel vera
« cognitio Dei. » Lyranus adjungit, populum hunc
« ideo veram scientiam et agnitionem Dei habuisse,
« quia illum a Prophetis acceperat, et legem a Deo
« datam habebat, præterquam quod pluribus a Deo
« beneficiis fuerat cumulatus, utpote qui per tot
« sæcula speciali divine protectionis suæ assistentia
« fructuosus fuerat.

5. — Porro ratio, cur etiam ipse Christus Judeis
« adnumeratus fuerit, hæc est, quia « Et Judeus
« erat secundum gentem. » Ita S. Thomas. Chry-
« sostomus vero dicit: « Neque tibi admirationi sit
« Jesum se Judeis annuere, nam secundum
« mulieris loquitur opinionem, tanquam Judeus
« Propheta. » Dicit quoque posset: « Quia Christus
« erat nasciturus ex eis, » inquit Lyranus, « ideo
« subditur: *Salus ex Judæis est, Salvator ex eis*
« *expectatur.* »

Salus ex Judæis est.

6. — Jansenius ait: « Non solum quod prædica-
« tio Evangelii ab eis dimanavit ad omnes gentes:
« *De Sion exiit lex et verbum Domini de Jerusalem;*
« sed etiam quod ante Evangelium in nulla alia
« genti prædicata doctrina Dei pure viguit, sed
« omnis vera Dei cognitio ab illis ortum habuit. »

7. — Dionysius Carthusianus verba hæc de
« Christi ex hoc populo facta incarnatione et nativitate
« explicat, vel etiam quia salus mundi a Judæismo
« dependebat: « Puta a Christi passione et Apostolo-
« rum predicatione. » Albertus Magnus quoque ad

incarnationem alludit dicens: « Quia Salvator est
« prædictus nasci ex Judæis, et ille est lux vera,
« quæ illuminat omnem hominem venientem in
« hunc mundum. » Chrysostomus ait: « Orbi ter-
« rarum bona inde provenerunt, nam et Dei cog-
« nitio, idolorumque contemptus et cætera dogmata
« a Judæis ortum habuere. »

VERSUS 22.

*Sed venit hora, et nunc est, quando veri adorato-
« res adorabunt Patrem in spiritu et veritate, non
« et Pater tales querit, qui adorent eum.*

1. — Euthymius a Luca Brugensis, in *Joañ.*, rela-
« tus dicit: « Non in corpore, sed in spiritu; hoc est,
« non corporales victimas, sed spirituales; » neque
« enim deinceps amplius futurum erat, ut pecora,
« arietes, tauri, vel alia similia animalia afferentur,
« quin potius corda et animas Deus requirebat. Lucas
« Brugensis dicit: « Hujusmodi victimæ sunt cogita-
« tiones sanctæ, contemplantiones, gratiarum actio-
« nes, laudes, orationes, interiores actus fidei, spei
« et charitatis, cæterarumque virtutum. » S. Cyrilus
« ab eodem citatus cultum declarat, quem deinceps
« non tam externum quam internum esse volebat.
« Spiritualiter adorator gratus est, qui non forma
« et figuris Judæicis ad pietatem obumbratur, sed
« evangelicæ virtute refulgens recta dogmatum disci-
« plina veram peragat adorationem. Cajetanus obser-
« vat Christum jure merito exigere ut hic cultus Deo
« exhibeatur in spiritu et veritate, ut adoratio con-
« formis sit adorato, quia Deus spiritus et veritas;
« tandem subjungit: « Hinc habes, erudite lector,
« quod exterior cultus non propter seipsum gratus
« est Deo, sed pro quanto ordinatus ad interiorum,
« qui sit in spiritu et veritate. »

2. — Dionysius Carthusianus dicit: « Hoc est, in
« corde interno, in spirituali intellectu; in veritate,
« hoc est, Deum veraciter invocare, intus et ex
« corde vocare; » quod quam utile sit, Psalmista
« declarat, dum de hac oratione, *Psal. cxv, 18*, ita
« scribit: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum*
« *in veritate.*

3. — Rupertus Abbas aliam quamdam glossam
« hisce verbis adhibet, ab omnium aliorum exposi-
« tionum interpretatione longe diversam; dicit enim:
« Quid hæc veri adoratoris definitione pulchrius?
« Adorabit, inquit, Patrem et spiritum adoptionis
« filiorum ab ipso percipientes, et in filiis ejus uni-
« geniti membra venientes; Patrem enim in spi-
« ritu adorare, quid est nisi spiritum adoptionis
« filiorum accepisse, in quo clamamus: *Abba Pa-
« ter?* Quid est adorare Patrem in veritate, nisi in
« Filio ejus manendo, qui dicit: *Ego sum veritas.*
« Patrem invocare? »

4. — S. Thomas, in *Joañ.*, ait: « Non in cere-
« moniis carnalibus, in veritate, non in figura. »

Ad veram igitur adorationem, duas condiciones
« desiderat; quarum prima est, quod sit spiritualis:
« *In spiritu*, hoc est, in fervore spiritus. I *Corinth.*
« *xv, 25*: *Orabo spiritu, orabo et mente;* » alia vero
« est, quod fiat in veritate: « Id est, sine fictione et
« simulatione, contra quod dicitur *Math., vi, 5*:
« *Amant in angulis orare, ut videantur ab homini-
« bus.* »

5. — Chrysostomus, *Hom. xxxiii in Joañ.*, qui-
« nam veri adoratores existant, hoc modo explicat:
« Ecclesiam significat, quoniam verus et debitus
« Deo cultus ipsa est. Qui sunt veri adoratores?
« Qui nullo loco divinum cultum circumscribunt,
« qui Deum in spiritu colunt. » Hugo Cardinalis
« dicit Christianos veros dici adoratores, si cum Judeis
« et Samaritanis comparentur: « Quorum utri-
« que in typo adoraverunt et umbra. Veri, quia illi
« pro temporalibus orabant, quæ falsa sunt; isti
« pro spiritualibus et æternis, quæ vera sunt. »

6. — Idem quoque qua ratione verba illa: *In*
« *spiritu*, intelligenda sint, his verbis declarat: « *In*
« *spiritu*, id est, in corde, non ore tantum, quia
« nihil valet strepitus laborum, ubi mutum est
« cor. Et in veritate, id est, non fide, quia Spiritus
« Sanctus discipline effugit fictam. » S. Hieronymus
« in Epistola quadam ad Paulinum ait: « De
« Hierosolymis et de Britannia æqualiter patet aula
« cœlestis; regnum enim Dei intra vos est; singuli
« quoque credentium non locorum diversitatibus,
« sed fidei merito ponderantur. »

VERSUS 24.

*Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spi-
« ritu et veritate adorare oportet.*

1. — Toletus ait: « Spiritus hoc loco vox com-
« munitatis est Trinitatis, naturam non personam cer-
« tam significans. »

VERSUS 25.

Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur
« *Christus, cum ergo venerit ille, nobis annun-
« tiabit omnia.*

Scio quia Messias venit.

1. — S. Thomas, in *Joañ.*, Samaritanam his ver-
« bis dicere voluisse censet, se quidem de facto mys-
« teria, quæ a Salvatore ei annuntiabantur, non
« intelligere, illa tamen post Messie adventum intel-
« lisse, de quo jam per Moysen libros instructa
« erat, siquidem in iis clare prædicitur: *Non auferetur*
« *scriptum, etc. Venit, id est, de proximo ventu-
« rus est.* Samaritani enim utebantur libris Moysis et
« juxta vaticinium quod in iis habetur, *Genes., xlix,*
« *10*, Messie tempus, Herodæ regnante, advenisse
« existimabant. « Ideo apud eos erat fama commu-
« nis; quod Christus erat de proximo venturus, et

« ideo loquebatur mulier, quia ex fama communi
« audierat. »

Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

2. — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, certi-
« ficabit nos de questionibus universis et cæteris
« ad salutem spectantibus. » Et quidem satis est
« verisimile Samaritanam invisit auribus ex ore
« Christi hæc verba percepisse: *Vos adoratis quod*
« *nescitis, salus ex Judæis est;* attamen quia jam illum
« veluti Prophetam æstimabat, ideo de respectu, illi
« ut tali, debito nihil negligere voluit; quod vero se
« ob venturum Messiam remittere volerit, nullam
« per hoc illi injuriam se irrogatam esse censuit.

VERSUS 26.

Dixit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum.

1. — « Mira gratia, » exclamat hoc loco Cajeta-
« nus, siquidem universo Judaismo illo petente et di-
« cente: *Si tu es Christus, dic nobis patrum*, hanc sui
« manifestationem edere distulit, imo et discipulis
« suis, ne eum præpropere manifestarent, prohibuit:
« Et tamen nunc sponte Samaritanæ se dicit esse
« Messiam. Mulieri nimirum, » ut Toletus ait, « in-
« firmæ conditionis, et adulteræ, et Samaritanæ. »
« Quamvis hujus assignari poterit ratio? « Juste
« quidem, » inquit Toletus, « tunc illis negatum
« est, quia jam ex operibus mirandis, et eis ipsis
« verbis sæpius repetitis id poterant cognoscere,
« nec voluntate credendi, sed persequendi quære-
« bant. » Cajetanus ideo se Christum Samaritanæ
« manifestare dicit, quia hæc manifestatio passioni
« ipsius impedimento esse non poterat, prout in Jero-
« solymis facta esse potuisset. « Non erat periculosa
« ad preveniendum passionem ejus. » Præterea in
« eo aliud quoddam mysterium reconditum erat,
« quia nimirum hoc Gentilibus privilegium esse vo-
« lebat, dum se huic mulieri, quæ gentilitatis typus
« erat, proprio ore manifestare voluit, quia hæc, non
« vero Judæismus ex ejus adventu profectum sibi
« comparaturus erat.

2. — Hac in occasione adimpletum fuit illud
« Sapientie, *vi, 14*: « Præoccupat eos, qui se concu-
« piscunt, ut illis se prior ostendat: *Ego diligentes*
« *me diligo.* » Etenim hæc mulier sancta quadam
« cum impatientia Messie adventum expectabat, pro-
« uti ex ejus discursu facile deduci potest. Et ideo,
« inquit Carthusianus, Christus: « Quoniam vidit eam
« de cognitione divinarum sollicitam, revelavit ei
« se ipsum. » S. Bernardinus ipsam de pluribus
« aliis virtutibus magnopere commendat: « Quia li-
« cet esset carne peccatrix, tamen multa bona in
« se habebat. Primo enim ad sanctos Patriarchas
« reverens erat. Secundo, erat sollicita de qua-
« renda et scienda veritate divini cultus. Tertio,
« magnam fidem et spem in Christum venturum

« illam habere per sua expressa colloquia appare-
bat. » Lucas Brugensis dicit Christum docilitatem
et ardens ejus desiderium penetrasse, quod habe-
bat in cognoscenda et addiscenda veritate; atque
ideo mox ut Messiam, quem expectabat et a quo
edoceri spectabat, opportune se illi cognoscendum
præbuisse.

3. — Considerari insuper hoc loco potest Scribas
et Phariseos homines quidem fuisse sagaces et lit-
terarum studio valde deditos, parum vero curasse
doctrinæ sinceritatem, rectitudinem et simplicitatem;
at vero hanc mulierem, tametsi antea impu-
ram vitam egerit, ex colloquio cum Christo habito,
qui est candor lucis æternæ, omnino fuisse muta-
tam et Dei amore mire succendi cœpisse: Vos
mundi estis propter sermonem, quem locutus sum
vobis. Unde verissimum esse liquet, quod abscondit
hæc a sapientibus et prudentibus, et revelat ea par-
vulis. Cum simplicibus sermoinato ejus.

4. — S. Thomas notat Christum se huic mulieri
non manifestasse a principio, siquidem suspicari
facile potuisset, Salvatore id ad se ostendendum
et jactantia causa fecisse: « Nunc autem paulatim
« in cognitionem Christi eam reducens, oportune
« revelavit seipsum. Prov., xxv, 11: Mala aurea in
« lectis argenteis, qui loquuntur verbum in tempore
« suo. » Chrysostomus ab Alberto Magno citatus
dicit: « Oportuit paulatim manducare mulierem
« legem non cognoscentem, quia si statim a prin-
« cipio hoc dixisset, deliramentum videretur, nunc
« autem postquam per colloquationem Scriptura-
« rum, per secretorum revelationem, per cultus
« ordinationem manducta est, tunc vidit quod
« sapientia Dei ordinante ista profecta sunt, et tunc
« ordinatus credidit. »

5. — S. Bonaventura ad verba a Christo prolata,
nimirum: *Ego sum*, se reflectens dicit: « In hoc
« liquet sua immutabilis divinitas: Antequam
« Abraham fieret, ego sum; qui loquitur tecum; et in
« hoc evidens ejus humanitas: Locutus est nobis in
« Filio. »

6. — Idem Seraphicus Doctor zelum et sollicitu-
dinem, qua Saluator vel unius dextat animæ
conversionem curabat, his verbis admiratur: « Be-
« nignitas admiranda, studiositas sedula ad docen-
« dam unam mulierem, perita artificiositas in attra-
« hendo, nunc revelando occulta, nunc promittendo
« desiderata. » Concludit vero tandem, et dicit,
Christum in hoc cunctis prædicatoribus Evangelicis
optimum dedisse exemplum: a Prædicandi non
« solum multis, sed etiam uni aliquando. »

VERSUS 27.

*Et continuo venerunt discipuli ejus; et mirabantur,
quia cum muliere loquebatur; nemo tamen dixit:
Quid queris? aut quid loqueris cum ea?*

Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

1. — Querit S. Bonaventura: « Ex quo nove-
« rant eum esse fontem pietatis, quare mirabantur
« eum loqui cum muliere paupere? » Adducitque
auctoritatem S. Augustini dicentis Christum solli-
cite inquisivisse ovem hanc perditam, eoque fine
de cælo descendisse. Unde concludit: « Bonum
« ergo admirabantur, non malum suspicabantur. »
Lyrans dicit: « Mirum erat quod tantus Doctor
« alloquebatur unam solum mulierem, pauperem
« lam et gentilem, quia videbatur eis parva aut
« nulla auctoritas, cum tamen esset magna. » Idem
quoque S. Thomas Doctor Anglicus sentit, nimirum
discipulos superabundantem ejus mansuetudinem
et humilitatem admiratos fuisse: « Quia Do-
« minus orbis terrarum dignatus est cum inope
« muliere loqui, et diu; in nobis exemplum
« humilitatis. » Hugo Cardinalis dicit: « Hoc est,
« contra illos, qui libenter loquuntur cum diviti-
« bus; et pauperes ac viles personarum respiciunt. »
Ecclesiastici, iv, 17: *Congregationi pauperum offer-
« bilem te facto. »*

2. — S. Thomas aliam hujusce admirationis
causam, eamque fortasse magis litteralem adducit,
quia scilicet Judei cum Samaritanis minime con-
veniebant: « Cum Samaritana et alienigena loque-
« batur, nescientes mysterium, quod mulier typam
« Ecclesie gentium gereret, quam querebat, qui
« venit querere, et salvum facere quod perierat. »

3. — Dionysius Carthusianus ait: « Quia con-
« sætudinem loquendi cum mulieribus ac privatim
« non habebat. » Id quod Lucas Brugensis hunc
in modum fusius exponit: « Cum muliere extra-
« nea, ignota, sola, solus loqueretur præter morem
« suum; nec enim consueverat Jesus etiam publico
« et patente in loco, nisi in turba loqui, exceptis
« familiaribus et sanguine junctis, ut consueverat
« cuiquam loqui, nisi de rebus gravibus et ad reg-
« num Dei pertinentibus; quibus mulier hæc mi-
« nus idonea videbatur. » Toletus similiter dicit:
« Nec hæcenus Christum ignotis cum mulieribus;
« maxime remotis arbitris, loquentem viderant;
« proptereaque mirati sunt, tanquam novum quid,
« insolitum et insperatum. »

4. — Porro hæc Apostolorum admiratio multis
sacris Doctoribus occasionem subministravit, varie
exaggerandi periculum, quod in colloquio et con-
sortio cum hoc debiliore sexu coeque inesse. S. Cy-
prianus ait: « Et ut de Apostolis breviter probem,
« quantum eis fluxa familiaritas politeri displicere,
« qui compulsi sunt de ipso Domino loquente cum

« femina dubitare, nisi eos majestatis notitia pro-
« bata composesceret. » S. Augustinus, *Serm. cxiv de temp.*,
observat verba viliis alicujus ancillæ ostiarie
solidam illam dejecisse columnam, super quam
Christus suam vultu edificari Ecclesiam: « Proce-
« sit sicut mulier, et immobilis columna discussa
« est. »

5. — S. Bernardinus Senensis nullas examinat
circumstantias, quibus sapientissimus et prudentis-
simus Magister cavere voluit, ne aliquid in hoc
facto ederet malum suis exemplum. In primis enim
loens publicus et apertus, et in uniuscujusque con-
spectu positus erat, et hinc est, quod religiosi ad au-
diendas confessiones in publico, et in oculis omnium
constituito loco auscultare debeant: « Et debent
« habere semper ibi socium videntem confiteri. »
Secundo loco horam considerat, quæ meridiana erat:
« Item quia stomacho jejuno; nam corpus est magis
« refrænatum quam quando est bene pastum. Item
« loquebatur cum illa, quæ jam erat senex, et non
« cum juvenula, quæ est magis suspecta. Quinto,
« quia erat necessum, ut loqueretur secum et ve-
« naretur illam animam, ad denotandum, quod
« licet fratribus tempore necessitatis et confessionis
« loqui cum filia spirituali. Item, quia Christus erat
« Sapientia divina quæ errare non poterat. » Ex
quibus omnibus liquido deducitur, quando male
suspiciendi causam habere possumus, nimirum:
« Quando locus est suspectus et occultus, hora in-
« congrua; quando corpus repletum cibo et vino,
« in quo est luxuria; quando femina est juvenis;
« quando non est aliqua justa causa et necessaria. »
Idem quoque Sanctus præter prædictas considera-
tiones alias quoque adducit; primo enim querit:
« Sed numquid indecens fuit Christum cum mu-
« liere sola sic stare et loqui? » At tandem attentis
circumstantiis et cautelis a Christo adhibitis, negati-
ve respondet, nimirum: « Considerato loco, qui
« erat publicus, considerato tempore hora, erat
« meridei et ante cibum sumptum; considerata
« causa adventus mulieris, scilicet pro haurienda
« aqua; considerata ætate ejus, quæ post quinque
« viros jam habitos presumitur fuisse grandævam;
« considerata persona Christi et adventus ejus ad
« puteum; celeris reditus expectatione discipulo-
« rum; materia verborum Christi cum muliere. »

Nemo tamen dixit: Quid, etc.

6. — Per hoc, inquit S. Thomas, in *Joan.*, debita
erga divinum Magistrum suum ostenderunt
reverentiam et respectum: « Ostendit ex tacturni-
« late eorum; in hoc enim ostendimus reverentiam
« ad Deum, quando facta ejus discutere non aude-
« mus. » Hugo Cardinalis ait: « In hoc instrumur,
« ut nos reverenter habeamus ad Magistros et Præ-
« latos nostros, ne passim et indifferenter eorum
« dicta vel facta mordeamus. »

7. — Toletus S. Basilium hunc locum adversus
curiosos premere dicit: « Qui quæ ad eos scire non
« pertinent, sollicite querunt et quæ curiositate
« discipuli se continuerunt. »

VERSUS 28.

*Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in ci-
vilitatem, et dicit illis hominibus.*

Reliquit ergo hydriam suam mulier.

1. — Nimirum lumini et notitie veri Dei, quam
accepterat sine ulla temporis dilatione respondet:
« Recepto in corde Christo Domino, quid faceret; »
Beda, in *Joan.*, inquit, « nisi jam hydriam suam
« dimitteret, et evangelizare curarer? proiecit eni-
« piditatem et evaporavit mutare veritatem; dis-
« cant qui volunt evangelizare, projiciant hydriam
« ad puteum. » S. Augustinus per fictilem hanc
hydriam affectum ad res terrenas intelligit: « Hydria
« amorem hujus seculi significat, id est, cupidita-
« tem, quæ homines de tenebrosa profunditate,
« cujus imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena
« conversatione hauriunt voluptatem. »

2. — Dionysius Carthusianus nos ad mulierem
hanc imitandum incitat, ut scilicet protinus lumine
Dei a nobis accepto deponamus omnem ad res hæc
terrenas affectum: « Sic et nos dum illuminationem
« et gratiam Christi experimus, hydriam nostram,
« id est, ventris curam, voluptatem, omnemque
« terre substantiam parvi pendere debemus. »

3. — Apposite hoc loco parallelum quidam sive
comparatio institui poterit Rebecæ inter et Sama-
ritanam, quarum utraque puteum accedit, ut hydria
sua aquam hauriat; illa cum Eliezer, hæc cum
Christo verba miscet ad puteum, qui ambo ab illis
respective potum sibi ministrari postulant; denique
ambæ hæc mulieres ad domum suam properant, ut
que sibi acciderant, familiaribus suis annuntient,
cum hæc tamen notabili differentia, quod Samari-
tana *reliquit hydriam suam*. Cujus hæc Origenes,
in *Joan.*, rationem reddit: « Hydriam apud eum
« deponit, qui præstantior est, cum aquam acce-
« pisset, quæ jam in ea principium aque salientis
« in vitam exitit. » De Rebeca vero concludit:
« Non eodem modo hauriebat quo Samaritana. »
Samaritana a puteo Jacob sine aqua recessit, at
vero, ut S. Ambrosius, *Serm. xxx*, scribit: « Relin-
« quens aquæ vasculum ad civitatem non fert hy-
« driam, sed refert gratiam; tacta quidem videtur
« reverti onere, sed plena revertitur sanctitate;
« plena, inquam, reddit; quæ peccatrix advenerat,
« revertitur prædicator, in nullo civili sive infe-
« rius detrimentum, elemis si aquam civibus non
« intulit, tamen fontem salutis invenit. » Merito hic
consideranda venit subitanea, quæ circa ipsam facta
est mutatio, ex peccatrice in sanctitatis prodigium:

nam die 25 Martii ejus tanquam sanctæ mentionem facit Romanum Martyrologium. « Venerat hauriende aquæ gratia, » inquit Chrysostomus, « et cum verum fontem invenisset, contempsit alterum. » et suprema proveniente gratia, Apostolico munere « fungitur. » S. Bernardinus qualitatem aquæ, quæ repleta fuit, licet inane et vacuum vas demiserit, ostendit: « Sicut non curavit, puteum desepit, reliquit hydriam, non haurit aquam, et merito; » concludit idem Sanctus, quia « aliam e celo susceperat, » id est, gratias et dona Spiritus Sancti, qui vulgari ab Ecclesia titulo *Fons vivus* appellatur, *Fons aque salutis*, etc. S. Ambrosius ait: « Quæ ad puteum meretricis advenerat, a Christi fonte casta regreditur. »

4. — Toletus miram in ea mutationem factam considerat, quia quæ ante a principio ad porrigendum Christo aquæ haustulum invita erat, nunc non aquam solum, sed et cum hydria funem pariter dimisit: « Et cui toties venire ad fontem, etiam ut sibi aquam hauriret, grave erat, jam redire ad civitatem, et iterum ad fontem, ubi Christus manserat, reverti, non laborem, sed requiem putabat. » Et quidem admirabilem horum omnium effectuum soli verbo Dei attribuit: « Mirabilis est verbi Domini mente et affectus concepti efficacia, quæ peccatorum voluntates ad se potenter et cito convertit. » Jansenius ait: « Observandum ita fieri solere, ut quos destinavit Deus donare sua gratia, eos crassioribus quidem in peccatis ante sui illuminationem vivere sinat, ejusmodi tamen quæ ut sunt fœdiora et notiora, ita facilius agnita pudorem inveniunt. »

5. — Albertus Magnus ait: « Reliquit hydriam, ut expedita curreret; hydria autem hauritorium frigidæ consolationis, cupiditatem significat terrenæ possessionis. *Ecclesiast.*, xii, 6: *Conteratur hydria super fontem. Ad Philippens.*, iii, 7: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum ut stercorea, ut Christum lucrifacerem.* » Multi ex divina hæc aqua ebrii hydriam hanc fictilem deseruerunt, imo in mille partes confrugerunt, id est, vas corporis sui in mille partes passi sunt discerpi, prout multi Martyres fecerunt. « Prevaluit virtus aquæ vivæ, » inquit Rupertus Abbas, « dulci ebrietate sopitam exsuperans carnem, mentemque lætificans vigilanlem, ita ut non solum cupiditates rursus bibere non appeterent, sed et ipsa animarum vasa fictilia, scilicet corporea sua penitus abdicarent. »

6. — Theophylactus considerat, quod mox ei quædam divini amoris scintilla in animam illabatur, in nihilum penitus vertantur et despiciantur omnia illa, quæ prius amabat: « Quoniam accensa fuerat anima divino igne, ad nihil eorum quæ in terra sunt, respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, nec ad aliud quidpiam: » imo peccata

sua occulta, quæ Christus ei revelaverat, omnibus manifestavit.

7. — Chrysostomus, *Hom.* xxxiii in *Joan.*, eandem hanc flammam in corde ejus flagrantem, hæc verbis egregie ponderat: « Adeo auditio Jesu incensa est, ut relicta hydria et aqua, cujus gratia eo concesserat, in civitatem properaret et ad Christum universum populum traheret. Considera mulieris stadium, considera sapientiam. Venerat hauriende aquæ gratia, et cum verum fontem invenisset, contempsit alterum; ut nos exemplo licet pravo admoneret, spiritualium gratiarum omnia nobis esse contemnenda, neque eorum, nisi ad necessitatem, ullam rationem habendam. »

8. — Toletus velocitatem observat, cum qua a puteo aquam secum minime deferens recessit: « Abiit cito, ne si moram faceret, Christus recederet, » nam videns discipulos venisse de civitate, arbitrata est cibos emisse, ibique saltem commoraturum tantisper, donec cibum caperet, et forsitan hydriam reliquit in usum ipsius et discipulorum. »

VERSUS 29.

Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci; numquid ipse est Christus?

Venite, et videte hominem.

1. — Cur obsecro mulier ista, quæ ex ipsiusmet Christi ipsum verum in lege promissum Messiam, et consequenter Filium Dei esse, auribus suis audiverat, cur, inquam, illum solum appellat hominem, et non potius sublimiorem ei titulum ad minus saltem Propheta attribuit? S. Thomas dicit: « Non statim dixit, quod veniret ad Christum, seu crederent, ne daret occasionem blasphemandi. »

Hugo Cardinalis sapientiam ejus notat: « Dicit enim: *Venite, et videte*; levissimum quid persuadens eis, non dicit: *Venite, et credite*; sciebat enim, quia si venirent, eodem potirentur fonte quo ipsa; nec dicit: *Venite, et videte Prophetam*, sed *hominem*; didicerat enim ex allocutione Christi secum facta, qualiter paulatim eos deberet adducere, sicut et ipsa ab homine in Prophetam est elevata et a Propheta in Messiam. » S. Bernardinus ait: « Intellexit, quod homines facilius exeuntur ad talia mira videnda, quam mox ad illa credenda, et quod plus proficerent ex præsentia Christi et visione, quam ex aliquo quod dicere possent eis. »

2. — Lucas Brugensis observat, quod dixerat: « *Venite, scilicet mecum*; non dicit, *ite, sed venite*; volebat enim redire ad Christum et seipsam eius ducentem vis offerrebat, fidem sermonemque nequam quam intermittens. »

3. — Jansenius mulierem hanc Apostolam nomi-

nat, dicit enim: « Ex peccatrice subito facta est Apostola; qua in re Evangelista pulchre duplicem verbe fidei fructum explicavit, nempe neglectam rerum temporalium, et studium impertiendi aliis inventam veritatem. » Nimirum, ut Dionysius Cartusianus inquit, doctrinam illam a S. Petro, 1 Ep., iv, 10, deinceps traditam adimplere voluit, quæ dicitur: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterum illam administrantes, sicut, etc. Infirma mundi elegit Deus*; ecce enim mulierem quandam peccatricem, vilibus natalibus orinndam, Samaritanam, schismaticam, litterarum penitus ignaram, in Apostolum Gentilium a Christo electam, quæ fidei Christianam et Messie adventum fervide annuntiando universum prævenit et præoccupat Collegium Apostolorum, primaque est quæ integrum quandam civitatem ad agnitionem Filii Dei perducit.

4. — S. Ambrosius, *Serm.* cxxxii, ait: « Postquam est fonte abluta Salvatoris, predicationis virtutem assumit, et viva aqua abstergens maculas suas, ad evangelizandum non conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. » Ecce tibi hic insignem penitentiae virtutem, inquit Sanctus, quæ culpas adeo perfecte delet, ut nulla deinceps earumdem memoria reliqua remaneat: « Hæc virtus Christi est Domini, ut quamvis peccator, qui ejus unda se laverit, denno in virginem reparatus, non meminerit anlea quæ fecerit. » Porro ministerium annuntiandi verbum Dei et Evangelium Christi, omnium quæ in Ecclesia exercentur munia sublimissimum est et dignissimum, et tamen primus, qui ad hoc ministerium exercendum adhibetur, non est Joannes, nec Andreas, nec Petrus, sed mulier quedam Samaritana. S. Thomas de Aquino notat, ipsam exemplo suo egregium post se reliquisse cunctis predicatoribus documentum: « In hoc veri Predicatoris imitatur exemplum, non ad se homines, sed ad Christum vocando. *II Cor.*, iv, 5: *Non enim prædicamus nosmetipsos, sed Christum, etc.* »

5. — Cyrillus ad servum illum, qui acceptum a Domino talentum abscondit, se reflectens dicit: « Non est imitandus servus ille, qui, *Math.*, xxv, talentum obruit, sed multiplicanda sunt quæ accepimus, quod probe nobilis hæc mulier fecit, quæ Samaritanis omnibus quod accepit proposuit. »

Qui dixit mihi omnia quæcumque feci.

6. — Hugo Cardinalis ait: « Id est, de omnibus majora; quia enim ei occulta dixerat, omnia posse dicere credebatur; vel omnia, id est, totam seriem vitæ meæ. » Theophylactus mulieri huic nequaquam alios modos dehisce considerat; quibus Christum Samaritæ annuntiare et manifestare potuisset, absque eo quod peccata sua illis panderet: « Ecce non veretur sua secreta pandere, contemnit

suam gloriam et ad hoc solum spectat, ut prædicet veritatem. » Chrysostomus nos ad eam imitandam his verbis invitat: « Hanc et nos mulierem imitemur et in peccatis, quæ commisimus, confendis neminem vereamur, Deum dontaxat, ut decet, formidemus. » Hugo Cardinalis ait: « Nihil reputat etiam cunctis fateri turpitudinem vitæ suæ, hoc solum intendens, ut signum deitatis Christi omnibus manifestaretur. »

7. — Considerari quoque hoc loco potest, quod tametsi Christus huic unicum dontaxat luxuriæ peccatum et nullum aliud detexerit, quod tamen solum sufficere poterat, ut adimpleretur quod ab ea dicebatur: *Dixit mihi omnia*; id est, omnia vitæ mea mihi impropere manifestavit, quia luxuriam Clemens Alexandrinus, *lib. I Stromat.*, nominat « Metropolum vitiorum. » Et S. Cyrillus Alexandrinus pariter de ea scribit: « Illi, quibus voluptas præpassa est, proclives id quodvis absorum vitium prolabantur. »

Numquid ipse est Christus?

8. — S. Bernardinus ait: « Dubium verbum non ex dubia mente processit; quasi dicat: Ex his quæ mihi revelavit et dixit, esse videtur Christus. » Ita pariter Jansenius ait: « Non habitantis erat, sed ex indicato miraculo inferentis Jesum esse Christum et prudenter proponens, id iudicio omnium examinandum, quod Dominus dixerat. » Neque enim ipsa se in tanti momenti et ponderis causa iudicem constituere volebat. « Alios experientia potius id cognoscere volens. » Porro ipsam hæc verba nequaquam dubitando dixisse, Cajetanus ratione quadam satis efficaciter demonstrat, quia, inquit: « Ad assertionem usque adeo declinabat mulier, ut exigat ab eis adventum et visum ad confitendum ejus assertionem. » Albertus Magnus aliam quandam observationem habet; dicit enim: « Quod assertive dicere potuit, sub interrogatione posuit, ut occasionem det meditari, quia meditando ex his, quæ dixit mulier, facilius vocantur, quando recogitant, quod nemo nisi solus Deus secreta scit conscientiarum. »

VERSUS 30.

Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.

1. — S. Thomas ex hoc Samaritanorum et civitate egressu, ut Salvatorem convenirent, sequens elicit documentum; ait enim: « In quo datur intelligi, quid si ad Christum ire volumus, oportet nos exire de civitate, id est, amore carnalis cupiditatis deponere. » Interlinearis ait: « Exire de civitate, cum exire a mundanis. »

2. — Eadem Glossa Interlinearis ex illis verbis Gentilium ad lidem alexandrinam facilitatem observat, dum ait: « Nota facilitatem gentium ad

« fidem et duritiam Judaeorum. » S. Andreas quidem Petrum ad Christum perduxit, S. Philippus Nathanaelem, at vero Samaritana, tametsi mulier esset, integram quandam civitatem, ut ad eum properaret, permovit.

3. — « Veniebant ad eum, » inquit Albertus Magnus, « ut bonis spiritualibus fruerebantur. *Eccle.*, « xxiv, 26 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* »

VERSUS 31.

Interea rogabant discipuli ejus : Rabbi manduca.

1. — S. Bonaventura hoc loco quaerit, quomobrem discipuli Christo hanc instantiam seu petitionem proposuerint : « Ex quo noverant eum semper « facere, quod erat melius et convenientius. » Imo ex quo lassus ex itinere potum sibi dari postalaverat, ipsum siti non minus quam fame laborare, conjicere facile poterant. Tandem vero hanc petitionem nequaquam temerariam fuisse respondet, sed potius magni fuisse erga Magistrum suum affectus et amoris signum. « Compatiebantur compassioni, » inquit Dionysius Carthusianus, « sui Magistri et pro prie fami consilere quaesierunt; ipsi namque « esuriebant et quia non praesumebant comedere, « nisi Magistro jubente, incipiente et escam bene- « dicente; idcirco rogabant. »

VERSUS 32.

Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

1. — Porro de quoniam cibo Christus hic locutus fuerit, S. Thomas declarat, dum ait : « Cibum autem « iste, quem Christus manducare habebat, est salus « hominum quam quaerebat; » et quidem dum desiderium salutis animae illius cibum appellat, qualem desiderium illud sit, quo nos salvari cupit, satis demonstrat : « Sicut enim nobis, dum « esurimus, concupiscibile est manducare, ita ei « a salvare nos. » Chrysostomus a Luca Brugenis citatus ait : « Non negat quin esuriat, sed significat « cibum alium esse, quem praefert, quem potius « appetat, in quo libenter pascatur. » Theophylactus Christum probe scivisse dicit, Samaritanos venturos esse, ut se ei submitterent, omnique veram Salvatorem esse profiterentur et agnoscerent, ac proinde dixisse : « *Ego cibum habeo comedendum,* « hoc est, salutem hominum. » Id quod Apostolus ejus, qui convertere debebant mundum, praecuram erat documentum, nimirum : « Ut et ipsi, cum « ordinati sint in magistros orbis, minoris faciant « corporalem cibum omneque desiderium suum eo « transferant, ut salvent homines. » Interlinearis ait : « Cibum habeo manducare conversionem Sa- « maritanorum. » S. Cyrillus dicit : « Cibum suum « putat perditorum hominum conversionem. *Hic*

« *peccatores recipit et manducat cum illis.* » Sic enim Magdalena ipsum convivio excepit; S. Mathaeus laetum illi in domo sua convivium instruxit, quando se ejus sequelae adjuncturus erat; Zachaeus pariter illum ad prandium invilavit, pater filii prodigi, in quo Christus peccatores ad poenitentiam misericorditer excipiens figurabatur, *occulit vitulum saginatum*, siquidem verissimum est quod ait S. Bernardus, *Serm. xi in Cant.* : « Cibus ejus poenitentia « mea, cibus ejus ego ipse. »

2. — Toletus Christum hoc loquendi modo discipulis insinuare voluisse dicit, ut ipsi comederent, eum sibi decretum fuerit a cibus abstinere : « Solus « enim Dominus jejunare, discipulorumque lassitudini et fami consulens, disciplinae rigorem in se « exercere volebat, quamvis nemo sine illo escas « acceptavit. »

3. — Cajetanus considerat quod, licet nimia lassitudine circa horam prandii exhaustus fuerit, nihilominus a suggerendis salutaribus consiliis et documentis non remisit : « Ut discamus emittere « cibum corporis, quacumque hora imminet spiri- « tualium cura exerecanda. Sicut Samaritanam tra- « xerat, ex haustu aquae occasione sumens, ita « discipulos elevat ex oblato cibi occasione, instruens « de illorum officio sub metaphora cibi. »

VERSUS 33.

Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid alius attulit ei manducare ?

1. — S. Thomas ex hac discipulorum perplexitate occasionem sumit excusandi Samaritanam, quando de quoniam aqua Salvator loqueretur, non capiebat : « Non est ergo mirum, si mulier illa Sa- « maritana spirituales aquam non intelligebat, « ecce enim quod discipuli Judaei spirituales non « intelligunt escam. » Pergit vero ideam S. Doctor demonstrare attendendam nobis esse Christi consuetudinem, qua cibos sibi ab aliis oblatos acceptare solebat, non quod illis indigeret; siquidem « bono- « rum nostrorum non indiget, qui dat escam omni « carni, sed quare quaerebat et ab aliis acceptabat? « Propter duo : *Primo*, ut dantes et offerentes me- « ritum consequerentur. *Secundo*, ut daret Chris- « tus exemplum, quod vacantes spiritualibus non « erubescant paupertatem, ne grave putent ab aliis « nutrir. »

VERSUS 34.

Dixit eis Jesus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.

1. — S. Thomas ait : « Id est, in hoc est firmitas « et sustentatio mea, ut faciam voluntatem ejus qui

VERSUS 35.

Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit. Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt jam ad messem.

1. — Notat Cajetanus, quod sicut Christus occasione aquae motus est ad demonstrandum Samaritanam salutarem divinae gratiae aquam sub illa metaphora, ita quoque nunc occasione ciborum sibi ab Apostolis oblatorum, motus est, ut de salute spirituali sub metaphora messis dissereret : « Salu- « tem spirituales annuntiat sub metaphora colli- « gatarum frugum ad cibum humanum. » Porro messem corporalem quatuor adhuc mensium spatio expectandam esse assertit; at vero messem spirituales jam praesentem esse dicit : *Ecce dico vobis, levate*, etc. Ubi Chrysostomus, *Hom. xxxiii in Joan.*, ait : « Regionis autem et messis appellatione « animarum multitudinem, quae in ipsis predi- « catione erant crediturae, demonstrat. Jam ve- « nientium Samaritanorum turbam videbant, quo- « rum fervorem et prompssissimam voluntatem albas « regiones appellat. » Glossa dicit : « Parata est « messis, id est, videte Gentes facile credentes. » S. Cyrillus a Luca Brugenis citatus ait : « Nam salta « intellectualia et spicae spirituales sunt, qui Pro- « phetarum voce culti ad fidem Christi perve- « niunt, quae seges luce, cum jam maturus, id est, « promptus ad suscipiendam fidem Christi et veram « religionem animus est; messorum vero falx est « Apostolorum splendida praedictio, quae ad aream, « id est, ad Ecclesiam Dei transmisit. » Nimirum Salvator discipulos suos tacite extimulari voluit, ad ferendam opem, et collaborandum ad messem jam maturam colligendam, id est, ad procurandam Gentilium conversionem; quia sicut messis, postquam granum maturuit, differri non potest, ita quoque quando anima disposita sunt, ut se ad Deum convertant, conversio illorum nequaquam est procrastinanda, sed sollicitandi sunt cooperatores et adjutores, qui illam sollicitent.

VERSUS 36.

Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam, ut qui seminat, simul gaudet, et qui metit.

1. — Toletus circa haec verba dicit : « Allicet « eos magno et insolito praemio proposito, quod « multum differt a mercede messorum tempora- « lium; nam qui temporalia semina metunt, mer- « cedem accipiunt, et laboris stipendium, fructus « tamen sibi non congregant, sed Domino; operarii « enim fructus non percipiunt, sed Dominus; » non vero ita res se habet in messe spirituali, cujus pro-

« misit me. » Porro quoniam sit aeterni Patris volun- « tates, id ipsum S. Paulus hisce verbis satis expres- « sit, dum ait : *Deus vult omnes homines salvos fieri.* « Salus hominum voluntas Dei est, » inquit Toletus, « et opus Dei est; voluntas quidem, quia sal- « vare vult; opus vero, quia salutem efficit. » Praedictam vero propositionem circa cibum suum, inquit Lucas Brugenis, discipulis suis multo clari- « us manifestavit : « Illis enim datum fuerat nosse « mysterium regni caelorum, quare omni velamine « orationis rejecto, rem eis appetissime dicit, inquit « Cyrillus; nam quoniam orbis futuri erant mag- «istri, exemplo suo eos docet, multo majorem « salutis hominum quam proprii corporis curam « esse ait. » Chrysostomus expressus ait : « Homi- « num salutem hoc in loco cibum appellat, ut quanta « salutis nostrae cura et desiderio teneatur, osten- « dat; sicut enim nos cibum, ita Christus humani « generis salutem desiderat. » S. Thomas dicit : « Tunc Deo cibum spirituales offerimus, quando « ab eo poscimus salutem nostram. »

2. — Jansenius ait : « Sic et noster cibus esse « debet quodvis virtutis opus bonum, et adimpletio « mandatorum Dei, ita ut eam avide desideremus, « et in ea concupisquamus et oblectemur; » adducitque locum illum *Psalmi cxxvii, 1 : Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulavit in viis ejus; labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.* De eodem cibo dicitur, *Joan.*, vi, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.*

Ut perficiam opus ejus.

3. — S. Thomas ait : « Ut compleam opera, quae « scio eum velle. » Albertus Magnus verba, *opus ejus*, ita exponit, id est : « Hominum vocationem, « conversionem et ad Patrem reductionem. I *Thes- « sal.*, iv, 3 : *Hae est voluntas Dei sanctificatio vestra.* « *Ut perficiam opus ejus*, scilicet, quod ipse fieri per « me disposuit. »

4. — S. Bernardus ad questionem illam, quae hoc loco moveri poterat, scilicet, cur Christus redemptionem humanam opus Patris potius quam suum appellat, cum tamen ipse ad eandem tantum contulerit? hoc modo respondet, nimirum hoc modo illam appellasse : « Primo, ut doceat se om- « nia referre ad Patrem, tanquam ad paternum « principium personae suae. Secundo, ut ostendat « quod ipse, in quantum homo, principalis opera- « tor non est, sed cooperator. Tertio, ut in nostris « operibus doceat plus amare et sapere quae Dei « sunt, quam quae sunt propria nostra. » Alias quoque Patrem suum Christum alloquens, eandem redemptionem non Patris, sed suum opus appellat : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Misit Deus Filium suum*, etc.

ventus in nostram quoque utilitatem redundat: « Congregat fructum in vitam eternam; non in horreum terrenum, » inquit Lucas Brugenſis, « ubi aliquando consumitur et perit; sed in Ecclesiam Christi, in qua non consumitur, sed vivit in aeternum, translatus ex hac mortali vita in aeternam. » *Jom.*, xv, 16, Christus dicit: *Posui vos, ut eatis, et fructum offeratis, et fructus vester maneat.* Ubi Albertus Magnus ait: « Qui enim in gratia congregat, ille in vitam eternam congregat, quia nunquam excidit fructus ille, quamvis nos aliquando excidamus ab ipso. »

2. — Cajetanus magnam quamdam ostendit esse differentiam hanc inter et alteram vitam: « Temporalis non semper est commune gaudium seminanti et metenti: contingit enim eum, qui seminavit, mortuum esse tempore messis, aut contra gregari fructus alteri quam seminanti, et propterea non simul gaudet, et qui seminat, et qui metit. Vita autem aeterna commune est gaudium seminanti et metenti, etiamsi seminas longe ante mortuum corpore fuerit; et propterea dicitur, ut simul gaudeat, et qui seminat, et qui metit. »

3. — Dionysius Carthusianus per hunc fructum procuratam a nobis animarum conversionem intelligit: « Fructum, hoc est, spirituales filios sua predicatione conversos, vel fructum, meritum copiosum pertingens in vitam eternam. »

VERSUS 38.

Ego misi vos metere quod non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

1. — S. Thomas ait: « Ille metit spiritualiter, qui congregat fideles in Ecclesia, vel qui colligit fructus veritatis in anima sua. »

2. — Enimvero quinam et quales illi fuerint, qui ante Apostolos laboraverunt, in quorum labores ipsi hic introisse dicuntur, Cajetanus hisce verbis palestre declarat: « Moyses et Propheta docendo et instruendo, tanquam seminando et colendo agrum; vos in labores eorum introistis, colligendo fructum fidei seminatae ab eis: discipuli enim Christi erant idiotae, et non erant Prophetae, neque Doctores, qui laborassent instruendo Judaeos. » Dionysius Carthusianus quoque qualiter intelligenda sint illa verba: *Non laborastis*, in eundem hunc sensum declarat sequentibus verbis: « Hoc est, populum Judaeorum, quem vestris predicationibus, scripturis et laboribus non disposuistis ad fidei receptionem. » Et quidem tametsi Petrus multa Judaeorum millia converterit, hoc tamen fecit, quia jam ante dispositi erant, et per Scripturas, prophetas, figuras, predicationes et testimonia Patriarcharum antiquorum convicti erant.

3. — Porro verba illa Hebraeorum populo adap-

tari poterant, quando in terrae promissionis possessionem ingrediebantur, quia tunc omnes illi duces et labores, quos terrae illius incolae in plantandis vineis, agris cultivandis, erigendisque aedificiis adhibuerant, et in commodum et utilitatem cedebant Hebraeorum, utpote qui dominio et possessione terrae illius a Deo liberaliter donati fuerant: possunt quoque verba illa nobis Christianis aptissime accommodari, qui sacris Indulgentiis a summis Pontificibus nobis concessis gaudemus, quibus poenae temporales exsolvuntur, quas alias pro reatu poenae per peccata contracto sustinere debuissimus; etenim indulgentiae ex thesauro Ecclesiae deponuntur, in quo superabundantia Christi, Sanctissimae Virginis, Martyrum, omniumque aliorum Sanctorum merita, velut in deposito asserantur, quae merita demum nobis per Indulgentias applicantur, sique revera adimpletur, quod hic dicitur: *Alii laboraverunt, vos in labores eorum introistis.*

VERSUS 39.

Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecumque feci.

1. — Theophylactus Christum in civitate Samariae verbum Dei, sive veritates Evangelicas proprio ore admirabili cum eloquentia annuntiasse existimat: « Verisimile est eum diviniora quaedam deo cuisse, unde nullo viso signo credunt, et obsecrant ut maneat; » non vero sic fecere increduli Hebraei, qui predicatione ipsius saepius audita, visisque tot stupendis miraculis, cum nihilominus jaectis in eum lapidibus probrose a se explerent; ut proinde de illis optime verificetur: *Inimici hominis domestici ejus.*

2. — « Ecce fructus sermonis habiti cum Samaritana, » inquit Cajetanus, « ecce primitiae gentium, ecce quotquot receperunt eum. »

3. — Hugo Cardinalis dicit, Samaritanos prius id, quod mulier illa eis dixerat, audisse, eique fidem adhibuisse, et postea Christo: « Conspiciebant enim, quoniam nequaquam admirata esset ad gratiam mulier eum, qui redarguerat ejus delicta, neque ut gratificaret aliis, suam divulgasset vitam. »

4. — Idem quoque purpuratus Doctor circa haec verba hanc considerationem moralem in nostram utilitatem instituit, dum ait: « Nota quod Dominus dedit virtutem verbo mulieris, quia verecundiam omnem contempsit, et se villicavit, nec vitam suam divulgare timuit; ita si nos contemnere mus nosmetipsos, credo quod nos proficeremus; humilibus enim dat gratiam. »

VERSUS 40.

Cum venissent ergo ad illum Samaritanam, rogaverunt eum ut ibi maneret, et mansit ibi duos dies.

1. — Praecepit Sapientia incarnata, *Matthaei*, x, 3, discipulis suis, ne Samaritanorum ingredierentur civitates, etc. *Hos duodecim misit Jesus praecipiens eis dicens: In viam gentium ne intraveritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis;* et ideo mirum est, quomodo ille nunc primus sit, qui praecipit istud in conspectu totius Collegii Apostolici tam expressis verbis publicatum, tam facile transgreditur. Origenes a Glossa citatus dicit: « Ad quod dicendum, quod in viam gentium pergere, est imbuti gentili dogmate, et in illo ambulare: civitatem vero Samaritanorum intrare, est acceptare falsam doctrinam. » — « Effectus fidei, » inquit Cajetanus, « supplex invitatio est ad mandatum in civitate; ita quod non solum venerunt ad videndum, sed ad rogandum, ut apud eos maneret. » Christum in anime et cordis nostri hospitium suscepisse non sufficit, nisi etiam ad hoc coneretur, ut stabilem apud nos mansionem instituat: ac proinde David Domum rogabat dicens, *Ps. xxxiii*, 22: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.* Et S. Cyprianus ait: « Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est, quod adeptum est, posse servare. »

2. — Chrysostomus promptitudinem Samaritanorum, quae Christum exceperunt, et Judaeorum contra eundem obstinationem inter se his verbis comparat, et dicit: « Nihil invidia nocentius, nihil inani gloria gravius, ipsa innumera bona corrumpere consuevit; nam cum Judaei majorem, quam Samaritani, Dei cognitionem haberent, et in Prophetae essent lectionibus educati his longe inferiores apparuerunt. Samaritani etiam mulieris testimonio fide adhibita, nullo signo confirmati, Christo obviam fiunt, rogant ut apud ipsos moretur; Judaei tot miraculis admoniti, non modo non retinent, sed expellere conantur. »

Et mansit ibi duos dies.

3. — Duobus continuis diebus commoratus fuit, inquit Lucas Brugenſis, in Samaria: « Quos sermone et concionando impendit. » Id quod ex verbis immediate sequentibus colligit. Porro quidam Salvator noster Samaritanis in specie praedicaerit, non constat quidem, verum tamen idem Auctor ibidem ait: « Nulla dixit, et magna, demonstrante eventu eorum, qui tam brevi tempore tanto numero crediderunt. » Enimvero nisi Evangelista idipsum tam manifestis verbis testificaretur, quis unquam credere potuisset adeo copiosum animarum numerum in tam brevi tempore ad Christi fidem comparari potuisse? cum tamen Ju-

dismus intra tot annos, quotidie redderetur adversus eum contumaciior.

4. — Cajetanus benignitatem Christi Domini notat: « Benignus Jesus non negat se Samaritanis, quibus negat se Judaei, quia, ut mulier Samaritana dicebat: *Non conturbat Judaei cum Samaritanis.* »

5. — Albertus Magnus super haec verba scribens, textum illum adduxit *Luc.*, xxiv, 27: *Cogebant illum dicentes: Mene nobiscum, Domine;* et « mansit ibi, quia semper satisfacit devotis in oratione. » Glossa Interlinearis ait: « Mansit ibi duos dies gratiam eis impertiendo, duos dies, duo precepta charitatis. »

VERSUS 41.

Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.

1. — « Ecce exercitium Jesu illis diebus, » inquit Cajetanus, « et significatur simul promptitudo Samaritanorum credentium sine miraculis, ad solam predicationem: erat enim sermo Jesu visus. » Porro Lucas, ix, 33, refert Christum alia quadam vice quosdam de discipulis suis in Samariam amandasse, ut prandium ei ibidem prepararent. Cumque Christus ibi ad portas urbis appulisset: *Non receperunt eum, quoniam plues ad inurbane ipsum ab ingressu civitatis prohibuerunt,* ut haec tam enormis incivilitas duobus fratribus Jacobo et Joanni occasionem dederit, ut Christo dicerent: *Vis dicimus, ut ignis descendat de caelo et consumat illos?* At vero benignissimus Redemptor noster, qui emendationem conversionemque ipsorum suo tempore futuram praevidebat: *Conversus increpavit illos dicens: Nescitis cujus spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ecce tibi stupendam Dei nostri longanimitatem! Quot zizania in electum mutantur frumentum per boni hajus Patrisfamilias generosam patientiam? Hoc anlem loco hujusce mutationis et conversionis laudem efficaciter verbi Dei adscribere debemus: *Crediderunt in eum propter sermones ejus; nec mirum, quia de illo S. Petrus optime dixit: Verba vitae aeternae habes.*

VERSUS 42.

Et mulieri dicebat, quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Saluator mundi.

1. — Cajetanus verba illa observat: « audivimus et scimus, scilicet certitudine fidei absque hesitatione; hic est enim verus fructus auditus, hinc apparet sermonem Jesu non sonasse exteriori tantum, sed mentes penetrasse et donum fidei contulisse; » idque verum esse vel ex eo patet, quia protestantur se non propter mulieris verba Christo

credidisse: *Jam non propter tuam loquelam credimus; quæ, ut Albertus Magnus exponit, « comparatione ejus quod vidimus, nihil est. »* III Reg. x, 7: *Ipsa veni et vidi, quod dicitur pars mihi nuntiata non fuerat.*

2. — S. Thomas Samaritanos Christum tanquam Messiam et mundi Salvatorem vere agnovisse dicit: « Ubi confitentur Christum Salvatorem, singularem, « verum et universalem; singularem, cum discreto tum eum ab aliis dicunt, *hic est, qui scilicet singulariter venit, Isa., xlv, 13: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Vere verum dicit; nam secundum Dionysium cum salus sit liberatio a malis et conservatio in bonis, est duplex salus: quædam vera, quædam non vera; vera quidem salus, cum liberamur a veris malis et conservamur in veris bonis. » Deus quidem in Veteri Testamento Hebræorum populo multos misit Salvatores, de nullo eorum dici vere poterat, quod veram illis contulissent salutem; siquidem a solis malis et ærumnis temporalibus illum liberabant,*

quæ vere mala non sunt; bona quoque conferabant quidem, sed non vera, quia transitoria erant. Unde S. Thomas concludit dicens: « Christus est vere « cæcis et præservat in veris bonis, id est, spirituum « libus. » Christum quoque confessi sunt Salvatorem universalem, quando dixerunt: *Salvator mundi*, per hoc manifeste ostendentes ipsam non solum venisse ad salvandum Judæos, sed universum genus humanum.

3. — Cajetanus ex illa confessione in hac occasione facta colligit, Christum totum hoc biduum impendisse, ut ipsis sua prædicatione hanc veritatem inculcarent, quod scilicet ipse Messias esset et Salvator mundi: « Manifestans quod Jesus evangelizaverat ei se esse Messiam, Salvatorem mundi, quod nunquam publice evangelizavit Judæis. »

4. — Chrysostomus ait: « Hic vere Salvator est, qui veram salutem elargitur, non brevi, sed perpetuo duraturam. »

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VI, VERS. 1

1. Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.
2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur.
3. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.
4. Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.
5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: « Unde ememus panes, ut manducent hi? »
6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturum.
7. Respondit ei Philippus: « Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. »
8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri.
9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? »
10. Dixit ergo Jesus: « Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco; discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. »
11. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant.
12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: « Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. »
13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superaverunt his qui manducaverunt.
14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.

VERSUS 1.

Abiit Jesus, trans mare Galilææ quod est Tiberiadis.

ADDITIONES.

a. — *Abiit Jesus trans mare Galilææ quod est Tiberiadis, etc.* Quod sensum litteralem hujus textus spectat, prima causa hujus secessus assignatur mors et interfectio Joannis nunciata. Fundatur autem hæc ratio in loco illo *Matth., xiv, 12: Accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus et sepelierunt, et venientes nuntiaverunt Jesu; quod cum audisset secessit in desertum locum.* Noster tamen Cyrillus Alexandrinus, *lib. III in Joan., cap. xi*, ponderat quod relictis Judæis abiit Dominus in desertum quod figurabat Ecclesiam gentium, quæ erat deserta. Sed magnum væ, hic transitus, hæcque derelictio Synagogæ præfigurabat. Unde ait idem S. Cyrillus, loco citato: « Propterea recedens ab « Jerosolymis, non ad finitima castella divertit, sed « trans mare Tiberiadis abiit, ut reipsa Judæis intimaretur, tam longe pro impietate eorum ab eis « migraturum, ut inaccessibilis ad eum via futura « sit; non enim possibile est pedibus hominum « maria pertransiri. » Quantum pavor occuparet Synagogam, si perciperet quod ob illius iniquitatem Messias ejus Christus Jesus tantum recessit tanquam magnum chaos inter utrumque firmatum est, ut nullus ultra citroque commeandi, locus inveniatur, ut jam nullo proprio labore superari queat? Ideo ad hoc significandum, non transit Jesus a Judæa ad aliquem locum et vicum sed abiit trans mare, quod humanis pedibus ac gressibus superari non potest; sed abiit longinque ab illis Jesus et merito abiit, quia clamaverunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Cujus poenas adhuc hodie dum experiri debent. « Universus populus « Judæicus, » inquit Lucas Brugensis, « qui illic « præsens aderat, maximo numero, ex omnibus « Judææ, imo, mundi partibus, qui quidem eo « convenerat, quod audisset Jesu causam apud « Præsidentem a Principibus agi, clamavit: *Sanguis « ejus super nos;* » id est, culpa hujus injustæ condemnationis nobis obveniat. Porro, « sanguis hic « ponitur pro culpa et vindicta cædis. Culpa vin- « dictæ quæ incurri queat effundendo sanguinem hujus, interficiendo hunc, impuletur nobis. « Nos eam culpam in nos suscipimus, nostro periculo inveniendam: » Origenes ait: « Pilatus quidem « se lavit, ipsi autem, non solum se mundare « noluerunt a sanguine Christi, sed etiam super se « susceperunt, dicentes: *Sanguis ejus super nos et « super filios nostros.* Propter hoc rei facti sunt,

« non solum in sanguine Prophetarum, sed im- « plentes mensuram patrum suorum facti sunt rei « in sanguine Christi; ut audiant Deum sibi dicentem: *Cum expunderitis manus vestras ad me, « avertam oculos meos a vobis; manus enim vestræ « sanguine plene sunt.* Propterea sanguis Christi « non solum super eos qui tunc fuerunt, verum « etiam super omnes generationes post sequentes, « usque ad consummationem: propterea usque « nunc domus eorum derelicta est eis deserta. » S. Hieronymus, in *Matth.*, inquit: « Perseverat « usque in presentem diem hæc imprecatio super « Judæos et sanguis Domini non auferitur ab eis. » Unde per Isaiam loquitur: *Si levaveritis ad me manus non exaudium vos; manus enim vestræ plene sunt sanguine.* Optimam hæreditatem Judæi reliquerunt dicentes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.*

b. — Audita morte Joannis, secessit Jesus inde in navicula, trans mare, ut patet ex Mattheo, et juxta SS. Patrum sententiam, discessit Dominus ab illo loco, veluti dolore ac quadam maestitudine latus, ex Joannis intimi amici sui morte. Sed quid ad hæc recessit trans mare in navicula? Cur non potius transit ad aliquem amœnum et perjeundum locum, et solum fieri ab eis, quibus aliquid molestum ac invisum accidit? Ad quid transnavigat mare in cymba quadam? Rupertus, *lib. VI in Joan.*: « *Abiit « Jesus trans mare Galilææ; id est,* » ait, « transmi- « gravat amara via et difficili navigatione, scilicet « portatus ligno crucis, qua passus est sub Pontio « Pilato. » Navi evecus transit mare. Hæc sacra ejus passio, quam sub præside Tiberii Cæsaris sustinuit, representabatur. Navis cruceum præfigurabat, mare sacram ejus passionem adumbrabat. Quomodo ergo Christus tristitia affectus, ad typos suæ passionis convolat? Maxime ex hoc sane: cum enim ipse maestitudine quadam ex morte amici teneretur, ad umbras suæ sacratissimæ passionis venit, ut ipsis potissime recrearetur, ac voluptatem perciperet. Nihil ei erat dulcius ac jucundius, quam suæ mortis representatio; ad propulsandum ergo tristitiam conceptam, hæc sacra memoria et figura quaerit Christus.

c. — S. Paschasius dicit: « Audita Joannis neco, « secessit Christus, non ut quidam arbitrati sunt, « timore mortis, sed ut parceret inimicis suis, ne « homicidium homicidio jungerent. » Ad nostrum exemplum volens ostendere quanta sit virtus inimicis ignoscere. Auctor Imperfecti, *Hom. xv*, nullum alium modum superesse dicit, quo nos filiatione divina dignos reddamus, quam si nos Deo similes efficere satagamus. « In quo enim, » inquit, « alio « cognoscemur, quia filii sumus Dei, nisi fuerimus